



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

rum, poenitentiam accipiens, omnia sua in manus pauperum tradere iussus. Fertur refectorium subtus, & dormitorium desuper extruxisse: Adiecitq; Nicolaus comes multa huic loco donaria. In Reinuelde autem monasterio Cisterciensium conditi sunt, tres illi de Saxonia, Iohannes, cum fratribus & filiis: Ceterum in Hamburgo in maiori ecclesia duo nouissimi Adolphi, cum aliquot fratribus. Ille autem primus Adolphus, qui dono primus accepit terram à duce tum Saxonie Ludero, quia eius temporibus in omni ea terra nulla erat solennis, prater Hamburgensem, ecclesia, nullum adhuc vsquam monasterium, in Hamburgo creditur terra commendatus. Nam filius eius secundus Adolphus, relatus est à Demyn in Mindam, vt suo loco diximus: Tertius verò defunctus in dominio suo Scowenborg: Quartus in ordine Minorum sepulturam promeruit, inter fratres suos in Kilone, à se fundato monasterio. Libuit sepulcra scrutari nobilium virorum ad perpetuam memoriam.

CAPVT XIII.

Henricus & Nicolaus comites, casi Gerhardi filij, in vltionem patris iusto exarsere dolore. Nam Henricus accepta parte copiarum nauigauit in Selandiam: Nicolaus persequitur reliqua belli in Iutia. Sed cum comperit haberent, parricidam illū in Scaldingborg cum magna manu confidere, in eam arcē primum ducentes, feruentissimè oppugnaverunt: & quoniam nihil inuium fortibus, etiam expugnaverunt: Duo milia inibi Danorum caesa feruntur: Extractus de medio insignis parricida, non vulgari mortis genere dignus mori, quadripartitus, totidem rotis, domini sui, & cui sacramentis erat obnoxius, proditor & mactator, imponitur, cornos pasturus: Si Holsatorū primores eius facti con-

sibi facere, in obscuro mansit : Sed tamen compertū erat,
 magnam illustris viri fortunam inuidia non caruisse.
 Ingentem eius spiritum multi admirati, sæpè rogârunt:
 Vndè tam multis diū cumulata solueret stipendia? Re-
 spondit : Victores se in Thietmarsiam missurum : vbi si
 res ex sententia procederet, prædis locupletati, indè sibi
 stipendia desumerent : Sin caderentur, nihil esse opus
 stipendijs. Sed tamen is erat exitus multorum, vt vacuū
 redirent & inanes, nihil præter arma portantes. Henri-
 cus autem in Selandia prosperatus, oppida, quæ facile
 fuit, vt potè immunita, occupare, arces etiam aliquot
 obtinuit : & iuxta ritum terræ impositis capitaneis, cæ-
 teri rure degunt, affuturi vbi opus est : Cùm interim
 exorta ruri inter Danos & Holsatos (vt facile fit inter
 militantes) contentione ex causis leuissimis, quidam ex
 primoribus Danorum multis charus opprimitur ab Hol-
 satis : Eare breuè per longinquum diuulgata, concla-
 matur ad arma : Execratur omne nomen Holsatorum,
 & cæsi sunt, tumultu multitudinis exorto, trecenti vna
 nocte viri : Quæ res exterruit multos, ita, vt Henricus
 quoq; comes, impositis opportuno loco præsidijs, ipse ab-
 iret. Erat autem annus post mille trecentos quadrage-
 simu secundus.

CAPVT XIII.

Ludouicus interim Bauarus Romanum admini-
 strabat regnum, nec vllis potuit conditionibus pla-
 cari, vt amulum à se captum Fridericum, ducem Au-
 striæ, captiuitate sineret laxari. Nulla eum magnitu-
 do promissi eris permouit : nulla profuit amicorum in-
 teruentio : omnia frustra pertentata euauèere. Vbi iam
 multis frustra conantibus nihil potuit effici, ipsi in-
 ter se principes soli conuenère, vt Fridericus interposito
 iura-